

ptem filios & tres filias amisisset, sedato & humili animo dixit: *Dominus dedit, dominus abstulit. Sit nomen Domini benedictum. Sic dicitur: Feras non culpes quod evitari non potest. Grave saxum procul jaci non potest. Rerum irrecuperabilium oblivio optimum est remedium. Non muß auß der not ein tugent machen.*

David ad infantem.

Quorsum in fans venit?

In cælum, in Dei manum.

Infans non amissus.

Ego vadam magis ad eum) Adhuc aliud argumentum habet David, cujus consideratione dolorem animi mitigat, quòd videlicet affirmat se ad ipsum suum infantem postmodò venturum esse. Quorsum verò pervenit infans? In limbúmne infantum? ut fingunt Papistæ, ubi nempe neq; malè neq; benè habeant infantes. Sacra Scriptura de tali loco nihil meminit. Salomon autem in libro Sapientiæ cap. 4. scribit: *Justos auferri ex vita peccatorum, ne malitia eorum sensus corrumpat, &c.* Quorsum igitur tales transferantur id ex antithesi est colligendum. Si enim ex seculo peccatorum auferuntur, sequitur eos in seculum peccatorum expers, hoc est, in cælum, in societatem sanctorum transferri: sicut ibidem dicitur, Quòd sint in pace. Et cap. 3. scribitur: *Justorum animæ sunt in manu Dei, &c.*

Quando igitur David hoc loco dicit se ad infantem suum venturum esse, in eo consolatur se quòd eum non prorsus amiserit, sed quòd eum tantùm præmiserit, & quòd
eum